



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

Cap. XXVII. De mendacis famæ contemptu, & eximia in rebus Deo dicatis
voluntate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252

duo, *Hagen* & *Virberg*, ab aduersariis
 suis vna cum filio interemptus est.
 Remansit autem totius possessionis
 heres vnica filia nomine *Aurelia*. Quā
 multis vxorem petētibus (erat enim
 satis elegantis formæ) venit *Otto*, &
 dato ei perpetuæ castitatis consilio,
 noctu eam non sine vitæ periculo,
 voluntariam abduxit. Deinde ponti-
 ficali & regali auctoritate subnixus
 multis & variis exegit laboribus,
 quòd simul cū *Aurelia* hæreditas to-
 ta diuinis ministeriis mancipata est.
 Castrum igitur *Hagen* ipse deleuit in-
 cendio, in altero autem fratrum &
 fororum hodie viget religio.

CAP. XXVII.

*De mendacis fama contemptu, &
 eximia in rebus Deo dicatis
 voluntate.*

Quantæ verò puritatis, quantæque
 simplicitatis deuotione *Godefridus*
 cun-

cuncta reliquerit, & ex responso ipsius, quo *Eucruuino* satisfecit, plenissime declaratum est. Ea namque tempestate, qua raptam à Frãcone matronam laboriosè requisivit, *fama*, quæ tam prauis fictique tenax, quam nuncia veri est, mox vndique percrebuit, Comitem *Godefridum* pœnitundine ductum, suam recepisse coniugem, fratresque omnes de castro, quod iam religiosi occupauerant, cum iniuria perturbasse. Talibus figmentis ad *Mosam* usque diuulgatis, venit de finibus illis *Eucruuinus*, nostri *Henrici* germanus, eundem *Henricum* secum sperans abcessurum: & salutato Comite, cum benignè susceptus foret, causam aduentus sui requisitus, exponebat dicens: Veni Domine fratrem meum qui apud vos cõuersus est, quem & vnicè diligo, pristinae reuocare professioni, quia iam pridem vos, receptis omnibus, vniuersos fratres expellere cœpisse, longè lateque nuntiatur. Tunc vir Dei alacri vultu re-

C 5 spon-

Sup. c.
14.

Virg.
Æneid.

spondit: Quid ergo? Nonne tuis, amice, oculis in praesentiarum comprobas, ficta esse omnia? Miror quidem valde tantę impudentiæ figmentum. *Qua enim temeritatis audaciā mihi ea usurparem, quorum hodie nulla proprietas omnino mihi residua est, quaeque Dei solius sunt attributa seruitio? Scitum, Deus meus, quod etiam si filios nutriendos ex foemina illa suscepissem, stipem potius necessitatis nostrae ostiatim mendicando, paruulosq; in ceruice mea gestando conquirerem, quam eorum quippiam, quae Dei sunt atq; seruorum eius, aliquatenus temerare auderem.* Haec audientes qui aderant, tantam tanti viri sinceritatem, altissimamq; paupertatem usquequaque non sine fletu mirati sunt.

CAP. XXVIII.

Godefridi Comitis à laudato viro laus, & aduersarij pudefactio.

TEmpore quo maximè Friderici Comitis aduersus virū Dei seruebat